

pro utroque. Et secundum illud se regunt. Jsta quidem habent ab experto. Jtem quando aliquis puer uel puella nascitur in hoc regno. statim pater uel mater facit poni in scriptis diem sue natiuitatis lunam mensem & horam. & hoc faciunt quia omnia sua facta exercent per astronomiam. Jtem quicumque habens filios masculos statim cum sunt etatis xiiij annorum ipsos licenceant a domo priuantes ipsos a uictu domus. dicunt enim quod amodo sunt in etate qua posunt ex se acquirere sibi uictum. & merciri & lucrari sicuti ipse fecit. & dat unicuique. xx uel xxiiij grossos siue monetas tanti ualoris. ut cum ipsis lucrentur & acquirant hoc quidem faciunt patres ut filij fiant experti & prompti in omnibus & mercationibus asuesient. Jsti quidem pueri sic faciunt. nam tota die non cessant curere nunc huc nunc illuc emendo unum & uendendo postmodum illud idem. & tempore quo perule piscantur curunt ad portum & emunt a piscatoribus .v. uel .vj. perulas. secundum quod piscatores habent eas. & eas portant mercatoribus qui stant in domibus <sup>74<sup>v</sup></sup> timore solis & dicunt uultis istas. certe constiterunt mihi tanto. detis quicquid placet de lucro. & ipsi aliquid sibi dant de lucro supra debitum pretium. & tunc iterato currunt. uel dicunt mercatoribus placet uobis/ quod aliquid uadam emptum. & sic fiunt optimi & subtilissimi mercatores. ipsi uero portant necessaria ad domum matrum. & ipse eis decoquunt & parant. set non quod aliquid comedant ad expensas patrum. Jtem noueritis quod in isto regno & per totam Jndiam sunt omnes bestie & aues diuerse a nostratibus excepta qualea solum que simulatur nostris. set omnes alie res eorum sunt multum diuerse a nostris. Nam habent uespertiones magnas quemadmodum sunt austures. habent insuper austures nigros ut sunt corui. & sunt multo maiores nostris. & bene uolant & aucupantur. Equis quidem eorum dant ad comedendum carnes coctas cum risis. & multas alias res coctas. habent etiam multa ydola in monasterijs suis masculina & femenina quibus multe domicelle oferuntur in hunc modum. quoniam patres & matres offerunt ipsas ydolis que magis placent eis & cum ipsas obtulerint quocienscumque monachus illius monasterij cui sunt oblate requirit ipsas | ut ueniant <sup>75<sup>r</sup></sup> ad solatiandum ydola statim ueniunt & canunt & pulsant & faciunt magnum festum. & hec domicelle in multa quantitate. nam faciunt magnas frataleas. Et iste domicelle quam pluries in ebdomada & in mense portant ad comedendum ydolis quibus sunt oblate & dicunt quod ydola comederint. Ipse quidem preparant carnes & alias res bonas. & uadunt ad monasterium suorum ydolorum & apponunt coram ipsis mensam cum omnibus uictualibus que portauerint. & dimitunt esse per magnam horam pulsando & canendo continuo. & faciendo magnum solatium. Et cum egerint tantum istud solatium qui quidam baro ad suum commodum comediset. dicunt tunc domicelle quod spiritus ydolorum totam substantiam comederunt & accipiunt & comedunt ea circa ydola cum magno solatio. post modum quelibet

*habent multa ydola in monasterijs suis masculina & femenina quibus multe domicelle oferuntur*

*iste portan[t] ad comedendum ydolis*